

## ADDENDA.

*Ephedra fragilis*. Add. syn. *E. fragilis*, Th. Kotschy plant. exsicc. Persiae austr. N<sup>o</sup> 819, prope ruinas u. Persepolis lecta. Specimina nondum florentia, valde incompleta; ob hanc causam de identitate cum *E. fragili* mauritanica non omnino certus sum.

*Ephedra procera*. Adde synonym. *E. major*, Th. Kotschy plant. exsicc. Pers. austr. N<sup>o</sup> 417. — Vagina intima amentorum foemineorum floriferorum videtur esse profundius fissa, quam in amentis defloratis, sed attentius observata haec vagina re ipsa vix unquam ultra mediam longitudinis partem fissa est. — Hab. etiam in Persia australi, in monte Sabast-Buschom prope Schiras (Kotschy).

*Ephedra graeca*. Ad hanc speciem, non ad *E. fragilem*, pertinere videtur *E. distachya* Sibth. fl. graec. tab. 961.—Plantam masculam *E. graecae* non vidi.

*Ephedra foliata* Boiss., Th. Kotschy plant. exsicc. Persiae austr. № 866. Specimina foeminea cum amentis nondum explicatis prope ruinas u. Persepolis in m. Kuh Ajub lecta. — Species iterum recognoscenda; ad *E. ciliatam* accedit, sed habitu stricto differre videtur;—*E. Alte* etiam simillima est et vix ab illa distinguenda; amenta foeminea, admodum juvenilia, longe minora sunt et illorum vagina inferior, comparata cum toto amento, amplior apparet.

